

## §. XII.

Quae si quis omnia paulo curatius mecum pensitauerit, haud dubie, vitii detestandi, quod otium vocant, reos iure agi posse hos homines, ipse adferturus est. Non enim est, quod existimes, eos solum ipsius arguendos, qui, cum officio fungantur publico, muneris sui partes penitus negligant, aut labores demandatos non perficiant, aut, nihil plane agendo, omnes vitae suae dies, tempusque pretiosissimum inaniter terant: reddent sane isti rationem Deo temporis, tam pessime consumti; sed otiosos merito vocabis etiam illos, qui laborando quidem diem consumunt, non tamen agentes, quae decet agere; non agentes adhibita diligentia debita, non agentes debito modo, nec actionum suarum praefixum habentes legitimum scopum. Et ita comparatum cum iis, de quibus sermo nobis est. Vel enim lectioni librorum incumbunt, quos nunquam legisse satius fuisset; vel neglectis scitu summe necessariis, ad minus vel plane non necessaria deferuntur; vel quae agere decuisset, perfunctorie & leui manu tractant; vel quicquid agunt, hoc solum agunt sine, vt animum suum suauiter recreent.

## §. XIII.

Caue autem, de iis haec intelligas, qui voluntatis suae deprauationem acerbè deplorantes, de eiusdem emendatione sunt solliciti. Licet enim, si eo, de quo supra disseruimus, temperamento sint praediti, per naturalem animi sui peruersitatem, ad hoc, non minus, quam alii, ferantur vitium; Diuina tamen gratia adiuti, nuntium ei mittere, & hostem hunc, si denuo ipsos adgrediatur, repellere, nullo non laborant modo. Immo coelestis, quam possident sapientia, labores eorum cunctos ad debitum dirigit scopum, vt nihil hic vitii metuendum sit. Sed qui de mutanda mente sua ne cogitarunt quidem, hoc, quo diximus modo, in tractandis studiis versantur.

C

§. XIV.